illum de communi societate debere nos illi quicquid sumus, atque adeo T. C.ni P. R. Clementiss. cui etiam plurimum debere debeamus aliquid concedere Ecclesiæ supplicanti Regi, et viceregi, studiosissimè roganti, civitati Nemausensi, Provinciæ Occitanæ, immò et universæ Galliæ orthodoxæ submissè petentibus, Academiæ nostræ nutanti manum porrige, vindica à tam exitioso malo. Habent te ut majores tuos Ecclesia patronum, Schola nostra protectorem, fautorem, authorem, dum ejus statum T. C.º non immutabit, Pacificati in obstringendo fidem suam aliquid dimittet, eidemque imperabit, ut operam suam Ecclesiis nostris impertiatur, quam Academia vestra P. R. Clementiss. largiri percupit. Periculum profectò summum est in mora. Certumque et definitivum responsum à T. C. expectamus, ne nobis tamdiu in salebra velut hærentibus incertus sit Scholæ nostræ status, et prætereantur nobis dum opperimur meliora illum formandi et stabiliendi occasiones et rationes, ita jamdudum tuis et T. C.nis P. R. Humaniss. variis modis adstrictos artissimâ catenâ devinctos retinebis et pacem Ecclesiæ dabis — ignoscere pulcrum
Jam miseris poenasque genus vidisse precantes.

Datum die XXVIII.
veteres stylo anno 1598.

Hieremias Reynardus Nemausensium delegatus.

217

Serenissime Princeps, Domine Clementissime demissè colende.

Literis J. T. E. C. acceptis, confestim alteras ad Nemausenses magistratus, consules et Pastores perscriptas ad eum magistratum misi, ad quem mittendæ erant, quamvis

erant, quamvis autem per me et per alios ſæpius — de A° 1598.
reſponſum peterem ac rem urgerem, et ſignificarem
me conſtituiſſe Heidelbergam ſecundum data
S.T.C. fidem proficiſci: tamen propter diſcordiam
quandam, quæ tunc temporis inter magiſtratum et con-
ſules intercedebat, manſerunt ae literæ clauſæ per di-
es duodecim. Interim ego mora pertæſus mandavi uxori,
ut ſupellectilia non tranſvehenda diſtraheret,
quod et fecit et convaſare cœpit. Poſthac, literis
lectis, magiſtratus, conſules et paſtores hujus urbis ſæ-
pius ad me venerunt, multis precibus petentes, atque etiam
ſtipendii augmentum, et quidquid aliud vellem, offe-
rentes, ac pollicentes, ne diſcederem. Itaque cum meam
ſanij fruſtra egiſſent, minas adjecerunt: quas cum vi-
derent me contemnere ac fortiter reſpondere,
ad blanditias redierunt. Ego vero ſemper eodem modo
reſpondi, me ſcilicet non poſſe eis morem gerere,
quod jam fidem meam S.T.E.C. obſtrinxiſſem. Con-
tra quam fidem ut quicquam facerem, nec premi-
is nec periculis ullis me adduci poſſe. Rogaverunt ut
ſaltem usque ad proximum Paſcha ſubſiſterem, ut interim
cum S.T.E.C. agere, et ſi ab ea ut permanere non
impetrarent, ſcholæ ſuæ proſpicere poſſent, adjici-
entes me nimis durum et inexorabilem eſſe, ſi et tam
cito eos deſererem, et tam puſillum temporis eorum
precibus non condonarem; præſertim cum aſſere-
rent me tunc bona omnium gratia diſceſſurum, ſeque
eo caſu de me non conqueſturos. Equidem libenter
eis gratificatus fuiſſem, ſi qua honeſta ratione, et
abſque metu indignationis S.T.E.C. id concedere
potuiſſem: ſed memor eram, me per literas polli-
citum eſſe, migraturum me quotieſcunque S.T.E.C.
placeret; nunc igitur tabellario ad me adducen-
dum miſſo, non putavi me poſſe ſine expreſſo S.T.E.C.

mandato in id conſentire. Hinc accedebat, quod
animadvertebam eos dilationem temporis
quaerere, ut interim Christianiſſimi Regis et
Eccleſiarum literis (ſciunt enim Eccleſias quoque
de me retinendo eſſe ſolicitas) ſe munirent, in
ſumma igitur reſpondi dolere me quod non poſ-
ſim petitioni eorum ob ſaepedictam cauſam,
idest, ob fidem meam S.T.R.C. obſtrictam, aſ-
ſentiri: jam pridem eos à me monitos potuiſſe
ſcholae ſuae proſpicere. Cùm autem inſtarent, ut
ſaltem iter ad duos menſes differrem, ut inte-
rim poſſent aliquem cum Principum et Eccleſi-
arum literis commendatitiis ad S.T.R.C. ab-
legare: hoc quoque recuſavi cùm ob dictas cauſas,
quod non putavi S.T.R.C. grata fore hujusmodi
literarum et legationum impedimenta, quae ipſi
pararent: tum etiam quod poſt duos menſes fieri
non poteſt ut parvulos meos ſalvos et incolumes
iſthuc adducam propter hyemis inclementiam, eis
igitur reſpondi, ſerò hoc à me peti: quoniam hac ratione
per totam hyemem hîc detinerer, ſi ea de re id pete-
rent, cur non ſtatim id fecerunt, ac tabellarii ve-
nerunt? Sed poſt 16. vel 18. dies id proponerent? Om-
nibus igitur aliis remediis deſtituti, ad hoc meo
judicio deterrimum devenerunt, ut me invitum detine-
rent et lite implicarent. hâc itaque ratione me cogi
S.T.R.C. reſponſum expectare. Ut autem S.T.R.C.
intelligat eſſe meram injuriam, et eos nihil juris in
me habere, ſed quicquid faciunt, in id tantum facere, ut
me ad tempus hoc detineant, ſibi perſuadentes ſe poſ-
ſe interim ab S.T.R.C. impetrare, ut me hîc diutius
ſubſiſtere patiatur, mitto exemplum meae cum-

consultibus conventionis, idest, omnia verba, quae ullo modo videri possunt ad rem facere: necnon exemplum inhibitionis et arrestationis: super quibus litigatum post aliquot dilationes semel fuit. Advocatus adversae partis petiit, ut satisfacerem conventioni, et interim arrestum et inhibitio confirmarentur; mei responsi summa[m] (ipse enim meam causam egi praesente tabellario, quem adesse jussi) scriptis consignatam, hisce literis adjungo. Partibus auditis, decretum fuit, ut summariè in causa procederetur: quia tamen scriptorum mentio fieret, partes intra triduum producerent, quae vellent, interim arrestationem et inhibitionem confirmarunt. Ego hos homines nec accusare volo, quod nimio mei desiderio trahantur, nec excusare possum, quia saepius ex me intellexerunt me migrare constituisse: et praeter libertatem, quam mihi reservavi, ut palam contractus tempore sum protestatus, justas discedendi causas in jure possum proponere, ob quas liberarer, etiamsi essem eorum mancipium: quod neque sum, nec unquam fui. Quàm accuratè, solicitè et candidè agam, ut S. T. E. C. clementem erga me voluntatem, quâ nihil mihi est pretiosius, conservem, quaeso S. T. C. hinc animadvertat, quod supellectilia mea vendidi, caetera convasavi, quae quidem ita convasata manebunt, donec intelligam, quid S. T. E. C. me facere velit, neque stipendium hic amplius accipio, nec officio Rectoris fungor, nec doceo, dene consulentibus quidem respondere amplius volo. Non audeo quidem stante inhibitione discedere: si tamen S. T. E. C. auctoritate niti possem, eam inhibitionem, quam privatâ meâ auctoritate non audeo violare, parvi facerem, et vel omnibus his invitis migrarem: quanquam polliceantur se sine ulla tergiversatione assensuros, si S. T. E. C. in sententia permaneat. Quadringentorum coronatorum, quos per literas Cambii accepi, quocunque tempore rationes fideliter reddam.

Illustrissima T. E. Celsitudo pro sua clementia et prudentia, quod optimum erit, statuet, et statuet[?]; persuadens me sibi addictissimum et obsequentissimum semper fore. Quàm demissè rogo, ut suorum humilium clientum numero me perpetuò esse velit. Deus Opt. Max. Illustrissimam T. E. C. quàm diutissimè Reipub. et Ecclesiae conservet, et indies beatiorem esse velit. Dabam Nemausi 19. septembris 1598.

ἐπιγραφή.

Serenissimo et Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Friderico Comiti Palatino Rheni, S. R. I. Archidapifero et Electori, Duci Bavariae &c. Domino Clementissimo, demissè colendo.

I. T. E. C.

devotissimus

I. Pacius

318)

Serenissime Princeps, Domine Clementissime, demissè colende.

Non minori voluptate, quàm honore, literae I. T. E. C. me affecerunt, quibus ad Celeberrimi Heidelbergensis Academiae professionem honestissimis conditionibus invitor. Nihil enim mihi gratius contingere potest, quàm, quod semper maximè exoptavi, occasionem mihi dari I. T. E. Celsitudini humiliter inserviendi. Quocirca oblatam conditionem cum summa ac demissa gratiarum actione accipio, et E. T. Celsitudini mea servitia devotissimè offero, eam humiliter rogans, ut hanc clementem voluntatem, quâ me prosequi dignata est, benignè in posterum quoque mihi meisque conservare non dedignetur: Ac filium Dei toto pectore obsecrans, ut mea obsequia ac servitia E. T. Celsitudini accepta, meamque operam isti Academiae gratam,